

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.
ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput Undecimum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

CAPUT UNDECI- MUM.

ωλειογραφία.

Continet etiam hoc caput ωλειογραφίαν seu bellorum descriptionem, quibus Josue reges Palæstinos versus Orientem, Septentrionem & Occidentem habitantes, vicit ac delevit: omnesq; præterea illorum urbes occupavit & devastatus est: idque omne non nisi virtute & auxilio æterni DEI, qui promissioni patribus olim datæ satisfacturus in hac terra Ecclesiæ suæ gratum hospitium parare voluit, incolis prioribus funditus extirpatis.

Divisio textus.

Dividi potest in tres partes. In primâ vincit & trucidat Josue felici prælio reges omnes adversus Israelitas arma capientes, usq; ad versum 10. In secundâ occupat & exspoliât hostium urbes, usq; ad versum 21. In tertiâ parte interimit Enakim, illorum urbes evertit.

Analysis Logica & Rhetorica

Prima pars de internecone regum, constat i. *υερισμῶν*, id est, *distributione* hostium conspirantium, quos describit historicus l. à nominibus, exempli causa, Jabin & Jobal; qui præ aliis procul dubio ideò nominantur, quod ipsorum omnium maxima extiterit au-

autoritas & dignitas. II. Describuntur à relatione, dum nuncupantur reges, quæ appellatione non tantum officium, sed etiam regia potestas & fortitudo innuitur. III. à situ & loco, ubi regia domicilia habuerunt. IV. à qualitate sex populorum, quibus præfuerunt: hinc dicitur rex Cananæus: Amorrhæus: Bœresæus: Hethæus: Jebusæus: Hevæus.

V. A quantitate seu multitudine partim hominum, partim eorum & currum: hominum multitudo amplificatur per hyperbolicam similitudinem arenæ marinæ vers. 4.

VI. Ab actionibus & studiis: Convenerunt & castra locarunt adversus Israel pugnaturi, v. 5.

Deinde prima pars constat à virtute & divinæ consolationis, quæ DEUS Josuam contra omnem potentiam hostilis metum armat ac munit. Consideretur hic 1. Forma promissionis divinæ. 2. promissionis effectus, qui est partim velox & inopinata in hostes irruptio: partim eorum percussio: & universale exitium.

Analysis Grammatica.

v. 1. Quæ cum audisset Gabinus.)

Dimanaverat enim ad regem fama tot illustrium victoriarum Israelis, quas DEUS præclaris miraculis, ut pote sicco Jordanis transitu: 2. dejectione murorum Jerichunticorum à xetew, & 3. inhibitione Solaris & Lunaribus cursibus ornaverat. Ex quorum & similibus auditu & visu cœperunt maxime suæ suorumque salutis & vitæ metuere. Quare conspirant conferentes eum vicinis omnem potentiam ad resistendum novis ho-

Hhh 3

spi-



spitibus. Sciendum autem est, quod Gabin iste alius sit ab eo, qui exercitui sui principe usus est Sisserâ, cuius mentio fit libro Jud. IV, Nam hic multo post tempore vixit; ille verò dicitur à Josue gladio percussus versu 10.

Hazor) Hebraicè חָצוֹר. Hoc minime plures urbes appellantur. Sita fuit quædam Chazor in tribu Nephtholim versus Septentrionem Josue XLIX, 36. Josue XV. cap. numerantur inter alias etiam tres urbes in tribu Juda, prima dicitur Azor, secunda dicitur Azor, Chatatha i. e. *nova*; in nonnulla vetustiora exemplaria irrepfit Noba. Tertia dicitur Cheroth Jeron, quæ est Azor. v. 25.

Madon) Videtur chitreo oppidum fuisse tribus Isaschar.

Ad regem Semron) Hebr. Schimron, i. e. *praesidium* eine *Bestung*. Sita est in tribu Zabulon Jos. XLIX, 15. Putarunt nonnulli Semeron idem esse, ac Samaria decepti affinitate Hebræarum appellationum: Nam literis prorsus conveniunt: Sed differunt *i. punctis*, unum enim nomen habet Holem; Alterum habet Hirec parvum. Samaria Hebræis est שִׁמְרוֹן: sed ista urbs Semeron est Hebræis שִׁמְרוֹן. 2. Differunt *tempore*. Nam Samaria multo post tempore ortum traxit à Somer, à quo Amri rex Israël, qui de stirpe Jerobeami fuit, montem emit duobus talentis, ubi extruxit urbem Samariam sedem regni 10. tribuum. 3. Reg. XVI, 24. Fuerunt autem privatorum ædes circa montem istum ab imâ valle sursum ædificatæ

tæ instar pinus: in summo apice sita fuit arx regia, unde amplissimus prospectus ad Joppen & Arabeam patuit.

v. 2. *Qui habitabant in montanis*)

Iterum dividitur terra Canaan trifariam: Alia est *montosa*, seu montibus abundans: alia *plana*, licet non sit inter colles sita: alia *camp-stris* seu mixta i. e. partim montosa, partim plana. Hebraice dicitur ערבה à radice ערב *miscuit*. Atque sic Palæstina terra differt ab Ægypto, quæ tota erat plana, Devt. XI, 10. Ut exundantibus Nili aquis rigari posset.

Contra meridiem Cenneroth)

Hebraicè כנרת. Alii legunt כנור. Nam & scriptura alibi hac voce in singulari numero utitur. Qui hoc nomine mare salsum seu mortuum intelligunt, hallucinantur. Nam *mare mortuum* est in latere Meridionali & Orientali, nec habet in circuitu urbes aut regum sedes. At Cenneroth est in Septentrionali latere respiciens orientem, atque ibi terram limitans. Num. XXXIV, 11. & 12. In hujus maris planis littoribus versus meridiem declinantibus habitabant reges.

Pater ergo ex situ hac appellatione notari *stagnum Genesareth*, de quo Luc. V, 1. quod & *mare Galilææ* appellatur Matth. IV, 18. Et ab urbe vicina postea *mare Tyberiadis* vocatur Joh. VI. & XXI, 1. Significat autem Cinnor כנור *Citharam*, cujus figura situm maris hujus quodammodo delineabat, unde etiam nomen accepit quasi dicas German. *Das Harffen- Meer*: neque tantum mare sic dictum est, sed gaudet quoque hoc nomine urbs illi confinis Jos. XIX, 35.

v. 2.



v. 2. *Regionibus Dor*) Lutherus cum Hieronymo agnoscit hic proprium nomen compositum & legit נְפֹרֹת דֹר: alii pro appellativo habent, 7^o Naphoth. Nam נְפֹרֹת significat tractum loci seu regionem, ut Jos. XVII, 11. Per mare autem hic *μαγνὸν ἕξοχόν* intelligimus mare magnum vel mediterraneum versus occidentem.

v. 3. *Ad radices Hermon*) Sunt montes alti in Libano & porriguntur versus Orientem. Quia verò Heveorum terra latè fundebatur versus meridiem (nam & Gabaon eò pertinet, ut audiemus vers. 19.) differentiæ causa additur mentio certæ regionis Maspha seu Mispa (Mitzpa) quæ est Septentrioni vicinior prope Sidonem.

v. 4. *Currus immensæ multitudinis*) Hebraicè. *Et Equus & currus multus valdè.* Apparet ex hoc loco, quæmadmodum etiam constat ex Illiade Homeri, quod populi gentiles olim pugnare soliti sint de *curribus*, qui fuerunt *falcati* i. e. gladiis prominentibus acutissimis & falcis instar curvatis instructi, quibus obvia quæq; scindebant: quin & equos ejusmodi currus trahentes in fronte gladiis armabant. Unde hostibus plus damni inferebant quàm jaculis emissis. Constabat autem apparatus iste magno precio, ita ut eò potentior quisq; censeretur, quò plures currus ferreos seu falcatos haberet.

Pharao educit 600. currus contra Israel Exod. XIV, 7. Jabin rex Afor 900. curribus ferreis utebatur libro Judic. IV, 3. David aufert regi Soba 1000. quadrigas
2. Par.

2. Par. XIX, 4. Falcatorum curruum meminit *Livius* lib. 7. Dec. 1. *Petrus Malleolus* scribit de Nobilitate, quod Bohemi in illo bello, quod Germani post concilium Constantiense contra eos gesserunt, quadrigis ferro armatis usi sint, quas catenis ligarunt, iisque veluti castrorum muris impetus hostium exceperunt. Erat hoc genus armaturæ admodum formidabile videntibus & audientibus partimque ex motu ferri vehementer strepitus excitarentur, partim quod solo tactu gladiatorum omnia scinderentur. Hinc DEUS de adventu regis Babylonici Jer. IV, 13. *Ecce quasi nubes ascendet & quasi tempestas currus ejus.*

v. 6. *Subnervabis eqvos*) i. e. Nervos incidet sicut David fecit 2. Sam. VIII, 4 ubi legimus: *David subnervavit omnem currum, quod per metonymiam adjuncti dicitur pro omnibus eqvis curruum, ut exponitur 1. Par. XVIII, 14. Miretur quispiam, cur DEUS jusserit eqvum nervos incidere, cum talium nullus maneat usus?*

Ratio videtur esse prima, quod DEUS voluit populo materiam exercendæ obedientiæ præbere, ne facerent, quod vel è re sua fore videbatur vel intermitterent, quod nihil prodesse videbatur: sed ut toti se ad voluntatem & verbum DEI componerent. Deinde voluit ipsis DEUS ita occasionem falsam fiduciam concipiendi præripere, ne in curribus & eqvis confiderent, sed in omnibus divinum auxilium sibi pollicentur.

v. 7. *Ad aquas Marom*) Hæ aquæ sitæ
 lii sunt



sunt 8. miliaribus à Galgalis distantes, ubi Israelitæ castra metabantur.

v. 8. *Usque ad Sidonem magnam*)

Sidon est urbs antiquissima Phœniciaë in littore maris magni finiens Palæstinam versus Septentrionem: dicta sic fuit à fundatore suo Sidone filio Canaan, de quo Gen. X, 15. Celeberrima fuit non tantum ob mercaturam, sed etiam ob officinas vitrorum ibi inventas. Magna autem nominatur ob præminentiam, quæ tanta fuit, ut cum Tyro certare videretur. Crebra fit illius mentio in historia Evangelistarum.

v. 8. *Aqvas Maserephoth*)

Hebraicè: מִשְׁרֵפּוֹת: latinè vertere potes: usq; ad ardores aquarum & vallem Mizpa. Misrephoth est à radice מִשְׂרַף quod significat cremavit, combussit seu coxit, sicut metalla coqui solent. Intelligimus autem aquas calidas sive thermas ex montium vallibus scaturientes.

QVÆSTIO:

An peccarint Cananæi omnibus viribus Israelitis resistendo?

Resp. Non videntur peccasse. Nam vim vi repellere licet & contra injusta bella pugnare.

At Cananæi vim vi repellunt, & contra injustum bellum pugnant.

Ergo hoc ipsis licet.

Pro:



*Probat*ur MINOR. 1. quia Israelitæ terram eorum vi de populabantur. 2. Justum bellum definitur, quod ulciscitur injurias causa 23. quæst. 2. paragr. Dominus.

Ab sic.

Resp. primò *ad* MAJOREM *per distinctionem*: MAJOR vera est de vi injusta, hanc vi repellere licet. Atqui Josue non inferebat Cananæis vim injustam, quia repetebat terram, à supremo Domino DEO scilicet concessam, quo nolente & invito Cananæi illam incolebant.

Secundò respondeo *ad* MINOREM: Minor loquitur de justa defensione. 2. Justum bellum est non tantum, quod ulciscitur injuriis modo legitimo, sed etiam multo magis, quod ex edicto DEI geritur, ut habetur eodem in loco decreti. jam Israelitæ erant injuriâ affecti partim quia Cananæi terram ipsis debitam non concedebant, partim quia liberum transitum iisdem denegabant Cananæi. Nam nemo prohibetur via publica, dicit Jurisconsultus. Præterea pugnant etiam ex edicto DEI. Falsum ergo est contra injustum bellum Cananæos pugnasse.

LOCI COMMUNES

I.

Ad hunc locum referri possunt doctrinæ in initio noni & decimi capituli traditæ, *de effectibus divinorum operum: de perversis moribus & cæcitate impiorum: de hostibus veræ Ecclesiæ eorumque consiliis: de mutuo auxilio: de prudentia politica: concordia vicinorum*

Iii 2

rum



ruin in imperio: De quibus & similibus temporis contrahendi causa lubens superfedeo dicere.

II.

*De mirabili mixtura ac temperamento rerum
letarum & tristorum in Ecclesia.*

In præcedenti capite edidit Israel insignem stragem inter inhabitatores terræ Palæstinæ, Sole ad insequendos hostes gemini diei lucem præter usitatum naturæ cursum suppeditante. Quibus omnibus feliciter peractis, everfis una omnibus munitionibus & castellis, exercitus victor cum gaudio ad castra redit. Credidisses tum pericula omnia superata difficultatesque omnes decoctas esse, ac si qui superessent hostes, eos vel boli instar deglutiri posse: Verùm res longè aliter cecidit. Nam Aquilonares & Orientales populi potentia ac multitudine hostes priores multis modis superant, atque ita Israelitas in majorem metum conjiciunt. Sic est ingenium DEI, ut pios suos, ubi omnium calamitatum charybdin se præter navigasse putent, in Scyllam majorum angustiarum conjiciat, ac longum ærumnarum funiculum nectat, abyfso abyfsum invocante, & omnibus veluti undis effusis, sicut David conqueritur Ps. XLI, 8. *Exempla præbent nobis historiae de afflictionibus Jacobi, Israelitarum in Ægypto, Davidis, Jobi & aliorum.* In quibus nobis interdum nimis durus DEUS & immitis, imò nonnullis crudelis videtur; sicut Job lamentatur c. XXX, 31. *Tu mutatus es mihi in crudelem in fortitudine manus tue.*

Ve-



Verum agit DEUS nobiscum crucem ita exasperando & augendo, ne in securitatem prolabamur, putantes, non amplius nobis pugnandum esse cum diabolo, mundo & carne, sed omnia in vado & tranquillitatis portu constituta esse. Quare crescentibus & gravescentibus ærumnis, vult DEUS in nobis majorem iram odiumq; acerbius contra mundum & carnem excitare, ut eo fortius pugnare discamus.

III.

De malis à Deo factis vel exortis.

Αὐθιγία seu exortia mala sunt, quæ homo propria culpa sibi accersit vel per malitiam vel per imprudentiam, ut cum hoc in textu reges Aquilonis omnes ex vicinia copias ad repellendam Israelis vim in castra convocant; quo medio fines suos non tantum non defendunt, sed etiam eos invadendi & omnia trucidandi januam hostibus aperiunt; Sic multi exitii sui causa sunt ipsi.

IV.

De timiditate & infirmitate sanctorum.

Quod DEUS contra metum Josuam consolatur, indicium facit eum non parvo metu percussum esse ubi de adventu tantorum hostium audivit, quasi DEUS non æquè in magnis ac in parvis necessitatibus sit opitulator. Sic non mediocris infirmitas depræhenditur in tanto heroe ac triumphatore, cui DEUS præsentiam suam verbis multis & miraculorum victoriarumq; illustrium testimoniis ultro citroque probaverat.



rat. Ut autem trepidantem Josuam non prorsus ab-
jicit, sed potius ulterius victoriæ promissione consola-
tur ac reficit: Ita neminem quamvis metu fluctuan-
tem, modò non verbum petulanter conculcantem de-
ferere vult, quia clemens est & misericors. Id quod
contra tentationem probè notandum est, cum qua-
pii & sancti sæpè conflictantur in maximis afflictioni-
bus. *Jacob* ob occursum fratris valdè timet Gen.
XXXII. Timet *David* Ps. LV, 4. Timet *Josaphat*.
2. Par. XX. Timet *Maria* *de solò* Luc. I, 19. Timent
discipuli Christi Matth. IV. & VIII, 16. Sed promissio
divini auxiliï, quam verbum nobis exhibet, potest o-
mnes metus ac tremoris nervos incidere.

V.

De vera consolatione.

Vera consolatio non aliunde nisi ex verbi divini qua-
si gremio de promitur, cujus officium proprium est
pusillanimes & meticulosos reficere ac consolari. Et
sicut DEUS hïc Josuam jubet esse immediatè bono a-
nimo: ita nos tempore tribulationis mediante Verbo
alloquitur: ne timeas. Nullus fuit unquam ex ethni-
corum militia, qui expunctâ omni dubitatione de-
hostibus suis numero & armis præstantioribus sibi
potuisset certam victoriam promittere. Aut si tan-
ta in eo fuit confidentia, nullus fuit, qui in præconce-
pta opinione non sit deceptus. Est enim cujusq; bel-
li fortuna anceps, ut rectè *Virgilius* de *Ænea* canit lib.
10. *Æneid*.

Hic

*Hic magnus sedet Æneas, secumq; volutat
Eventus belli varios.*

Sed Josue licet in initio hostium adventu admodum perterrefactus sit: tamen audita consolatione ex ore DEI cessat potentissimas, numeroqve carentes copias perhorrescere. Sic nos eam consolationem maximas sentiemus in nobis radices agere, quam ex verbo DEI hausimus. De aliis qui unde cunq; solatia corradunt, dicit Job cap. XVI, 2. *Consolutores onerosi omnes vos estis.*

VI.

De victoria paucorum.

Quod DEus Israeli Deut. XX, 1. promittit: *Si exieris ad bellum contra hostes tuos & videris equitatus & currus & majorem quam tu habeas, adversarii exercitus multitudinem, non timebis eum exercitum, quia Dominus DEus tuus tecum est:* Id jam re ipsa præstat & egregio exemplo comprobat. Nam hostium, qui contra Josuam in aciem prodeunt, tanta est multitudo, quanta arenæ maris: Stat tamen victoria apud pauciores, quibus præstò est Dominus. Quare nihil refert, DEum liberare vel in multis vel in paucis, quoniam non in multitudine belli, sed de cælo est victoria.

Et qui DEum auxiliatorem & defensorem secum habent in bello, nulla multitudine superari possunt, quemadmodum *Ezechias* suos milites consolatur 2. Par. XXXII, 8. Sed hæc olim facta sunt iniquis? Quasi verò ulla temporum vetustas veritatem & omnipotentiam DEI obliterare ac abolere possit. Quin
imò

imò si iusta nobis bella gerenda erunt pro divini verbi defensione contra Turcam, Papam & alios regionem Christianam infestantes, non poterit DEUS Ecclesiam suam in manus impiorum tradere, modò non ipsi eum è castris nostris vitæ ac morum improbitate ejiciamus.

Quod si transferantur hæc *ad spiritualem militiam*, major inde consolationis lux oborietur. Quis dubitat, Spiritus tartareos multitudine vel arenæ copiam æquare, cum scriptura soleat eorum *legiones* numerare, Matth. XXVI, 53. Marc. V, 9. Luc. VIII, 30. & 36. Creditur autem legio continere 12375. milites, tamen non est desperandum. Dedit enim DEUS per victoriam Christi universa Diabolorum examina in manus nostras, nec poterunt *porta inferorum adversus nos prevailere* Matth. XVI, 18.

VII.

De veritate DEI.

Promissiones DEI non fallunt. Necessè enim est omnia sic evenire, sicut ipse prædixit præmittendo. *Exemplum* suggerit nobis præsens historia, ubi legiones hostium universæ ita conteruntur, ut nullæ sint reliquiæ, equi subnervantur, currus comburuntur. Horum & similium promissorum & eventuum consideratione corroboratur & augetur fides. In primis verò non parvi faciendæ sunt circumstantiæ promissionibus divinis annexæ, ut cum in hac consolatione Josuæ proposita DEUS nomine exprimit crastinum diem & nomen ipsum victoriæ. Videt hæc populus
ita



ita evenire, ut discat in DEo indubiam fiduciam figere ac locare. Sic *regius Capernaiticus* ex notatione horæ illius, in qua Christum audiverat & filius suus convalescerat, conceptam fidem mirificè confirmat. Quare cum vaticinia Prophetarum tractamus, minime prætereundæ sunt circumstantiæ & cum eventu comparationes. Sic enim illustriores doctrinæ veritatis radii in mentes nostras spargentur, ubi videbimus divinas promissiones ne in minimo puncto fallere.

VIII.

De obedientia erga DEum.

Vera obedientia exemplum proponitur in *Josua*, de quo textus perhibet testimonium, quod fecerit, sicut præceperat DEus: dubium non est, quin humana ratio longè aliter ipsi dictavit, cur nervos eqvis incides? cur cremabis currus, magno usui futuros domi ac foris, in bello & agricultura? Sed Josue præfert mandatum DEI & privato commodo & rationis judicio: Sic nos attendere minimè debemus, qui è re nostra sit, sed quid DEus jubeat. Talem obedientiam enititur germana fides, pendens ab ore & voluntate DEI sola.

IX.

De rerum bonarum privatione propter abusum.

Ut DEus præripiet Israelitis alias, ad malum justo proclivioribus peccandi occasionem, jussit hoc in loco eqvos & currus posthabere. Sanè possidere eqvos & currus res est per se nulli culpæ obnoxia, sed quia

Kkk

affe-



affectibus carnalibus præpediti in curribus & equis confidere solent Ps. XLIX, 8. prohibet DEUS eos ex Cananæorum spoliis reservari, quemadmodum olim eandem ob causam majoribus imaginum usum interdixerat, ne scilicet illas ad invocationis abusum pertraherent. Fuit autem hæc prohibitio tantum temporalis, quæ alios non obligavit. Nam *David* ex amplissimis spoliis hostibus ereptis reservat sibi centum quadrigas, cæteris equis subnervatis 1. Par. XVIII, 4. Quamquam alii subnervationis equorum causam allegoricam reddunt, ac si duorum vitiorum *lascivie* videlicet *ac superbie* simulacra DEUS nobis in equis proponere voluisset, quorum veluti nervos ac fibras carnis mortificatione incidere oportet.

LOCI POLITICI.

Loci politici ex præsentis textu erui possunt ferme iidem, quos supra tradidimus. Magistratus ἀρχεπίου & ἑπισκόπου providentis & minimè securi exemplum habemus in regibus Cananæis. Exemplum non interponendæ moræ aut faciendæ cunctationis proponitur in *Josue*. Sed omiffis hisce notabo *locum physicum de thermis seu calidis aquis*, earumque appellatione, origine, vetustate, utilitate & dignitate, propterea quod earum mentionem Spiritus S. faciat vers. 8.

I. De

I.

De appellatione.

Quemadmodum *Græci* aquas non arte sed natura calidas *ἄνω τὸ θεῖον* seu *θερμὸν* i. e. calore sive æstu infuso thermas vocant: sic *Hebræi* *mischrephoth maim*, eandem ob causam *Masius*, non abnuente *Bonfrerio*, fornaces vitrarias h. l. notari vult: quæ arena vi ignis excocta, & liqvata, ex quâ vitrum conflatur, aqua vocetur. Ita & *Tremell.* cum *Junio. Lyra* intelligit hîc *salinarum aquas* & addit ex *Hebræorum* traditione in ea terra Canales factas esse juxta mare, per quas aqua maris ingrediens desiccabatur à Sole & ita in salem convertebatur. Sic *Chaldæus* textus usurpat vocabula *Charize Maija*, quæ significant salinas aquarum. Conf. *R. Salom. & Adrichom.* Licet autem probabile sit regionem illam & maritimam & montosam tamen thermas quam salas aquas tulisse: tamen nos cum *Vatablo, Radak, Pagnin, Luthero* nec non *Tigur.* *Hebrææ* vocis originem spectantes, de thermis textum commodissime exponi arbitramur. Habent igitur ejusmodi aquæ determinationem à propria qualitate, quia sunt præter aquarum reliquarum naturam in ipsa scaturigine calidæ. Unde autem tantus in thermis calor? quæritur; & resp. eum non ab igne quidem subterraneo, quæ aut nullus est, aut in iis certè locis, ubi thermæ, aut fontes calidi scatent, sui copiam non facit: sed tamen à calore subterraneo, quæ nusquam ferè deest, omninò prodire. Hinc thermarum aqua igni admotam non facilius ebullit, quàm aqua frigida. Qvin &



lingvam non sic adurit aqua thermarum, atq; aqua communis, quæ ex igne eundem caloris gradum nata est: quod huius caloris subjectum fit tenuis vapor, qui non tam alte lingvæ aut oris partes penetrat. Sic teneriores herbas ut acetosam non emollit, aut coquit eadem facilitate, atq; aqua communis, cui idem caloris gradus inest. Ac cum plerumq; hæ aquæ sint minerales, non abhorret à vero, fumos è sulphureis mineralibus sublatis hunc aquæ calorem impertiri.

II.

Audimus autem *thermarum inventionem* recentem non esse, sed etiam Iosue ætate antiquiorem. Negari non potest eas ab initio mundi conditas ac post diluivium singulari DEI beneficio hominibus restitutas esse.

III.

Oriuntur thermæ ex venis terræ sulphureis aut aluminosis, item bituminosis, salis, nitrosi, cinereis &c. unde qualitates varias & admirandam vim nanciscuntur omnis generis morbos, in primis autem frigidos & humidos medicandi. De tam eximia *utilitate* consule *Hieronymum Cardanum* contradicentium Medic, lib. 2. tract. 4. contradictione 3. folio mihi 669. *Seneca* lib. I. naturalium quæst. cap. 35. scribit. Thermis adesse vim sulphuris ac calcis, quæ obvio frigore incalescat, velut in calce cum aqua frigida infunditur. Quo fit, ut calidarum aquarum penè nulla sit veneno infecta aut rarissima, quoniam calore finitur & dissolvitur venenum. Ad summam: Quod *Melchior Nibelius* in descr. Urb. p. 198. *Job. Rivius* in descript. Mariæ-

riæbergi A. 1641. de *thermarum Wolckensteinensium* utilitate in specie, differuit: *Hic* (*Wolckensteinii*) aquæ sunt admodum salubres, quibusq; efficacitas in medendo planè mirifica, idq; non solum sine ullo ægri dolore, sed etiam aliqua cum voluptate. Itaq; qui valetudinis causa hîc diversis è locis confluunt, quæ innumerabilis verno tempore multitudo est, amissum lymphis reparant impunè vigorem, ut ille canit. Medentur autem hæ paralyticis & calculosis aquæ; suntq; & stomacho & nervis & universo penè corpori sanæ, quam utiles atq; salubres: Id ipsum de thermis in genere verum esse, nemo qui sibi constat, facilè negabit.

IV.

Ex dictis itaq; de *thermarum dignitate* satis nobis liquet, quam sibi quasi perpetuam asserunt, communem utilitatem afferentes. Non immerito huc applicueris tritum illud Logicorum: *Effectus* (nobilis) *testatur de causa* (nobili) ejusq; dignitate. Et novimus, thermas naturales *sacras* vocatas, ob dignitatem dubio procul, *Petr. Petit.* Miscell. p. 215. f. Hujusmodi calidarum aquarum ebullitiones adhuc hodie etiam passim celebrantur, in *Wisbada*, prope confluentiam *Enserli*, in Belgio *Aquisgrani*, in Lotharingia, *Plumbaria*, in Judæa *Emmaunte*, ut scribit *Iosephus* lib. 18. Antiqu. cap. 3. Gr. & lib. 4. Cap. c. 2. ubi & ipsum *Emmaus* nomen interpretatur *ἄσπερ θερμὰ*, quasi ex vulgari Hebræo *chamme maïm*, vel *maïa*, id est, *calidæ aquæ* in Bohemiâ *Carol. & Tôplitz*, in Misniâ *Wolckenstein.* & *Wies.* Vid. *Athan. Kircher.* in *Mundo subterr.* Part. 1. l. 5. n. 45. p. 285. de therm. German. *Happel.* in



Cosmogr. curios. Part. 3. p. 814. *du Hamel* Philos. vet. & nov. lib. 5. p. 424. & conf. *Experientiss. Medicorum* passim prostantes pretio de thermarum usu & elogiis, Tractatus.

SECUNDA PARS CAPITIS XI.

Analysis Logica & Rhetorica

Reversusque cepit Asor) Incipit hinc secunda undecimi cap. pars, oppugnationem & exspoliationem hostium urbium sistens. Ubi

- I. *perspicua rei hujus gesta expositio.* Observ. circumstant. 1. *quis?* Imperator Josua, qui reverti Aforem memoratur, cum longè supra hanc urbem quæquam versus fuisset hostes persecutus. 2. *quid?* Cepit in specie Asor metropolim, v. 10. *ingenere,* reliqua municipia, s. omnes Regum istorum Civitates, v. 12. 3. *Quomodo?* a) Asor comburendo, v. 11. 13. b) Urbes reliquas expugnando, v. 12. c) Omnes incolas acie gladii percutiendo & perdendo, v. 11. 14. 4. *Cur?* (1) Quod nulla Civitas cum Gabaonitis misericordiam exorasset, sed (2) Israelitis, DEO ita permittente, se opponere decrevisset, v. 19. & 20.
- II. *Varia ex hæc urbium expugnatione Consecutio.* Nimirum. 1. Confecti belli approbatio, v. 12. 15. 2. Præda ac jumentorum divisio, v. 14. 3. Totius regionis illius occupatio, v. 16. 17. Ac notatur ter-
mi-

minus à quo, Mons leni &c. terminus ad quem, Baalgad &c. Denique 4. Totalis Regum illorum extirpatio, (eradicatio) v. 10. 17. 18. 20.

Analysis Grammatica.

v. 10. *Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat*) Asor erat urbium omnium princeps, & ut credi potest. omnium munitissima, quâ captâ facilius ad cæteras metu percussas esset aditus. Quod autem dicitur hæc urbs inter omnia regna hæc principatum tenuisse, intellige, non de omnibus Cananæ regnis, quæ erant plurima, cum pleræque urbes ferè suos haberent regulos; Sed de regnis, aut regulis, quorum initio capitis facta est mentio, quique in aquilonari Cananæ regione versabantur.

v. 11. Interneccioni devovendo eos)

Hebr. אָנָתְהֵם, ἀναθεματισμός. Est (1) Deo dedere aut consecrare absque jure redemptionis, Lev. XXVII, 28. Mich. IV, 13. Conf. Jes. XXIII, 18. (2) Funditus extirpare, ἐξολεθεύειν, ἀφανίζειν. Ea, quæ in sacris utilia non erant, & consecrabantur, abolebantur. *Luth. verbatim.* Ev. Jes. XXXIV, 2. Conf. Jer. L, 26. Exod. XXII, 19. Sic supra Jos. VI, 18. *Ne devoventes, & devoto accipientes ponatis castra Israelitarum anathema*, subjiciatis reatui ad exterminium. Vid. *Avenar. Buxtorf. Coccej. & alior. Lex.* Hoc loco signific. anathematizavit, velut anathema s. hostiam DEO, & justitiæ atque vindictæ divinæ consecratam immolavit.

& oc.

& occidit, atq; excidit sine ulla commiseratione, opponitur verbo *Rechem*,

v.12. *Et omnes per circuitum civitates*) Post captam, exustamqve metropolim narrantur jam reliqua etiam municipia, cum suis Regulis, qui in superiore expeditione fuerant, subacta esse. *Pronomen* **וְהָיָה**, *eos*, & ad civium cætum & simul Regulos spectare potest. Nam urbes ipsas conservatas esse, seqq. docent.

Sicut præceperat Moses, famulus Domini) Hoc ipso Israelitæ vindicantur à crudelitatis existimatione: & simul ab observatione in DEum commendantur, ut qui adhuc nihil DEI injussu fecerint, nihil etiam jussi neglexerint. Quippe magna pietas est perdere cum mandavit DEus: contra verò inepta, imò verò impia lenitas, parcere.

v.13. *Absq; urbibus, quæ erant in collibus & in tumulis sitæ*) Hebraicè: **וְכָל-הָעָרִים הַעֲמֻדוֹת עַל-הַלְּמִים לֹא-שָׂרְפוּ יִשְׂרָאֵל**
 Pleriq; secuti *Chaldeum* vertunt, *quæ adhuc stabant in robore suo*, i. e. quæ non fuerant dirutæ in ipsâ expugnatione. *Junius*, *quæ manserunt cum aggere suo*, i. e. quæ obsidionem quidem expectarunt, sed antequam aggeres vi dejicerentur, se dederunt ex *Lege Deut. XX, 10.* Cur ergò Afor hîc excipitur? illa ne se ut reliquæ dederat, antequam aggeres vi dejicerentur, & tamen contra legem incensa fuit? Imò nulla harum urbium quæ hîc memorantur deditisse
 se

se videntur, sed omnes vi expugnatae; unde & reges earum atq; incolas omnes peremit Josua. Et v. 19. disertis verbis dicitur, nullam fuisse urbem, quae pacem fecerit cum Israelitis praeter Gibeonitas. *Quaeritur*, quare has urbes vi expugnatas non incenderit populus Israel, ut antea factum Jericho & Hay? *Respond.* quia erant, עמורי ער תלם, id est, ut verterunt *Figurini*, stantes in tumulis suis, aut potius, in tumulo suo. Probari potest ea versio, sed non eo sensu quem, versioni isti *Vatablus* in Annotat. attribuit: *stabant in tumulo suo*, i. ut erant sitae: nam tum temporis ut plurimum sitae erant in loco edito. Id cum praecedentibus conveniret versionibus, nempe non incensas fuisse eas urbes, quae in expugnatione non fuerunt dirutae, sed manserunt ut sitae erant in tumulis. *Vulgatus* simpliciter vertit: *quae erant in collibus & in tumulis sitae*. Videtur pro ער תלם legisse ער תלם, quod poneretur pro ער תלים per defectum pluralis numeri, quod & alibi non est insolens. Et fateor, si hoc modo legeretur, omnino planum fore sensum. Sed nihil cogit nos recedere ab usitata lectione: Nam, *quae stabant in tumulo suo*, sensus est, quaeque in tumulo suo &c. ubi comparisonem institui arbitror inter has urbes, & eas quarum incendium antea fuit memoratum, nempe Jericho & Hay, praeter quas aliae, quod sciam, incensae antea non fuerant. Duae autem istae urbes non erant עמורי ער תלם sitae super cli- vos, sed בערבה in *campestri*, aut בשפלה in humili loco. Non erat montosum territorium Jerichuntis, sed planum, depressum, ideoque magis irriguum, quam reliqua terra Canaan, unde Luc. X, 30. quidam



dicatur descendisse Hierosolyma Jerichuntem, quia territorium Hierosolymæ editus erat territorio Jerichuntes. Quum ergo pleræq; urbes terræ sanctæ inclivis ac tumulis sitæ essent, pepercit iis populus, neq; conflagravit eas, ut ipsis aliquando essent receptacula, una Asor excepta, cujus cum Jerichunte & Hay in plano sitis communis fuit fortuna.

Insuper non temerè hîc modo *Josua* nomen modo *Israelis* positum putes. Israelitæ enim nulla incensione vastasse urbem memorantur, ut mirifica militum DEI continentia omnibus testata sit, qui nihil incitatè & temerè, sed sedatè omnia gesserint. At *Josua* narratur *exussisse Asor*, ut intelligamus, isti Urbi non esse injectam flammam militari aliqua licentia atq; petulantia, sed consulto, atq; ex Imperatoris deliberatione, ad quam credibile est DEI in primis oraculum esse adhibitum, quod asserere veteribus quoq; *Judeorum Magistris* non displicuit.

v. 14. *Omnemq; prædam istarum urbium ac jumenta*) Prædam Cananaicarum civitatum diripere fas fuit Israelitis: At simulacra, quæ ad alienorum Deorum conflata cultum à Barbaris erant, servare atq; asportare ne fas fuit, quantumvis pretiosa esset eorum materia. De quo vide edictam Legem Deut. VII, 25. 26. *Septuag. Interpr.* præsentem locum de spoliis unius urbis Asor perperam interpretantur.

v. 15. *Sicut præceperat Dominus Mosi, servo suo, ita*) Hæ approbatio explicatior

cator est, quam quæ v. 12. dicebatur, cæteroqvi prorsus illi gemina. Et est sententia: Josuam in hoc bello omnia ex Mosis præscripto administrasse, h. e. nihil per iram, avaritiam, libidinem, aut ullas omninò animi sui perturbationes remerè gessisse, aut per pigritiam sordiamve quidquam omnium neglexisse: sed prorsus atq; omni ex parte Mosis se legibus accommodasse, mandataq; omnia, quæ sciebat non humana, sed divina & cœlestia esse præcepta, exsecutum esse. Additur & ipse in Textu: *Non omisit verbum ex omnibus, quæ mandarat Dominus Mosis.* Postulare videbatur orationis series ut diceretur, *quemadmodum mandarat Mosis Josue*; sed Mosis dicta merum fuisse DEI sensum, clarum atq; testatum esse oportebat. *Adamantius* hic, *Josuam adumbrare Christum* Jesum, ait, qui factus est Mosis legi obnoxius, cum servi formam sumpsisset; illamq; non abrogavit, evertit, aut pertregit, sed ipsi paruit, ut homines eâ implicatos solveret, assereretq; Phil. II, 7. 8. Gal. IV, 4. 5.

v. 16. *Cepit itaq; Josue omnem terram*) Verbum לקח cepit, interpretatur *Chaldaeus possedit, sive, apprehendit tanquam hereditatem.* Nam de captis Regibus expugnatisq; urbibus dictum est לקח. Quod quamvis facile assentiri *Chaldaeo* possemus, non tamen dissimulandum, promiscuè usurpari interdum illa verba לקח & לקח: nam Deut. III, 4. quod Mosis semel dixerat, וְלָקַחְנוּ אֶתְּכֹל עָרֵי, & cepimus omnes urbes ejus, mox iterum dicit: לֹא הָיְתָה אֵינֶם, non fuit civitas, quam non ceperimus ab eis. Est autem in istis versiculis epilogus, opinor, rerum omnium, adhuc in Cananæa gesta-



starum ab Israelitis. Ei enim rei videtur esse argu-
mento ipso quæ proximo versu explicatur descriptio
locorum. Demonstrativum ergo יְרֵמֹהּ *istam*, de-
clinatōis, nec sine emphasi est accipiendum.

v. 16. *Montemq; Israel*) Mons est ad par-
tem meridianum situs, cui post everfionem urbium,
vicinarum istud nominis visum fuit imponere, for-
tasse ob rem aliquam ab Israele ibi gestam sive in eo
olim Jacob habitaverit: sive ibi viderit Angelos per-
scalam in cœlum ascendentes & descendentes, quem
locum aliàs *Bethel* nominavit Gen. XXVIII, 12.

v. 17. *Partem montis*) Hebr. A monte
לְהַנִּי i. e. *leni*. Putant nonnulli hunc montem sic *אל*
א.ל.דגאסו dictum quasi *minimè lenem*. Fuit enim asper
ob saxa & lapides durissimos, fuitq; situs in latere me-
ridiano apud Orientem, siquidem ascendit in *Seir* i. e.
Iduméam. Num. XXIV, 18. 2. Alii montem putant
dictum à *dividendo*. Nam קָרַח significat *divisit, dis-*
perivit, propterea quod iste mons limes fuerit, dif-
pertiens *Seir* seu Iduméam à *Canaan*. Sic *Luth.* red-
ditur *das das Land scheidet*.

Baalgad) Est urbs septentioionalis ad radi-
ces montium *Libani*. Notatur hîc longitudo *Pale-*
stinæ à *Seir* seu Idumææ montibus usque ad montes
Hermon & *Libani*.

v. 19. *Non fuit civitas, quæ se non*
traderet) vitiosa versio est: Quam sententiam
70. *Interpr.* itidem reddidisse videntur; nisi existime-
mus

mus corruptum esse olim locum, atq; expungendam negandi particulam in illis verbis, *ἡτις παρῆδωκε*, aut certè *παρῆδωκε* dictum ab illis esse pro concessit, Israelitis sc. h. e. victa ab eis fuit. *Hebraeus* textus contrarium habet: *Non fuit civitas, quæ pacem fecerit cum filiis Israel præter Heveum.*

v. 20. *Domini enim sententia fuerat*) Hebr. *A Domino fuit, ut roboraretur cor eorum in occursum belli cum Israel, ut occideret eos, & non existeret ipsis misericordia &c.* Usurpatur hic verbum *פִּי* in *Piel*, quod significat *invaluit, fortis fuit*, sicut & Exod. XIV, 8. & 17.

QVÆSTIO I.

An præda omnibus Israelitis divisa fuit, an verò tantum pugnatoribus?

Resp. Videtur quod solis pugnatoribus.

I. Nam in textu conjungitur divisio prædæ & interfectio Cananæorum. At pugnantes interfecerunt Cananæos, non autem ii, qui propter excubias in castris manserunt. Ergo pugnatoribus, non aliis divisa fuit præda.

MAJOR probatur ex versu 14. *Omnem prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt sibi filii Israel &c.*

II. Quibus debetur præda, iis etiam fuit divisa.

At debetur tantum pugnatoribus.

Ergo & illis tantum fuit divisa.

MAJOR est manifesta.

MINOR probatur: Nam præda est proemitum fortitudinis, omniumq; difficultatum bellicarum.

Lll 3

Con-

Contrà.

- I. Argumentor *ab exemplo*, seu potius *per Comparationem à minore & majus*: Prædam & Marianitarum strage adeptam dividerunt Israelitæ non tantum inter pugnantem, sed etiam inter omnem reliquam multitudinem Num. XXXI. Quod ita observatum est in deserto, quidni multo magis in terra Canaan, cujus possessio cum omnibus commoditatibus ad omnes in præsentia pertinebat.
- II. *Textus* sine restrictione asserit, filios Israel divisisse prædam sibi, non dicit pugnantibus: quemadmodum etiam in expugnatione urbis Hai eadem verba leguntur supra cap. VIII, 27.
- III. Extat *sententia Davidis* de spolio tam descendentibus ad prælium, quàm ad sarcinas manentibus I. Reg. 30, 34. Probabile igitur est, Josuam id ipsum sic observasse.

Ab sic.

Resp. nunc *ad argumentum prioris opinionis primum*. Quod in MAJORE dicitur, divisio prædæ cum interfecione conjungi, id eò spectat ut significetur distributionis subjectum, quibus scil. distributa sit præda, sed notatur tempus, quod post totalem interneccionem tandem facta fuerit divisio. *In secundo negatur MINOR*, quandoquidem etiam iis, qui custodiae causa in castris permanent, etiam spolia tanquam ex cubiarum præmia debentur, ut modo ex I. Reg. XXX. probatum est.

QVA.

QVÆSTIO II

An exitium Cananæorum & similium impœnitentium sit à DEo?

Resp. *Minimè*: I. Nam *DEus non vult mortem morientis*. Ezech. XVIII, 32.

II. Quia *DEus dicit* Os. XIII, 9. *Perditio tua Israel tantummodo, auxilio verò meum.*

Contrà ex textu sic argumentor:

I. Exitium Cananæorum est ex induratione cordis. Induratio cordis est à DEo. Ergo est exitium Cananæorum & similibus à DEo.

Ratio consequentiæ est: Quia *causa cause & causa causati*. Nam ideo occiduntur, quia ob indurationem quæ est à DEo contumaciter se Israelitis opponunt.

II. *DEus dicitur expressè aliquoties Cananæos dele- re*, ut Deut. VII, 1. It. c. VIII, 20. c. XVIII, 12. imò ipse dicit Jos. XIII, 6. *Ego sum, qui delebo eos, & de quibuslibet, impiis*, Ezech. XIV, 9. Jer. XLVI, 8.

SOLUTIO.

Quæstio est ambigua: Potest enim accipi vel *de culpa & merito exitii*: vel *de absoluto DEI decreto*: vel *de pœna & culpa ultione*. In primo & secundo sensu rectè negatur quæstio. *Culpa enim meritumq; peccati*, non DEo sed Satanæ & malæ hominum voluntati imputanda sunt. Nam *DEus nec vult iniquitatem* Ps. V, 5. *nec odit quicquam eorum quæ fecit*. Sap. XI,

In tertio sensu, qui est de justa DEI vindictâ rectè affirmatur quæstio. Nam Cananæi jam per 40. annos contemserant populum DEI, terram suam horrendis & abominandis sceleribus contaminaverant, atq; sic mensuram peccati egregiè impleverant: adde quod nihil quicquam commovebantur vicinorum regnorum & urbium everfionibus: miracula divina, quæ in Jordane & Sole fieri ipsi audiverant & viderant, susq; deq; faciebant: His & similibus antegredientibus delictis, horrendum indurationis supplicium propriâ sibi culpâ accersivè re. Atque hinc patet responsio ad argumenta affirmantium.

QVÆSTIO III.

An verbum Indurare (cum DEUS dicitur corda impiorum indurare) significet actionem & operationem efficacem?

Calviniani hoc affirmant, sub talis argumenti specie:

Verba activa significant actionem, in primis verò apud Hebræos in conjugationibus Piel & Hiphil significant geminam & efficacissimam actionem.

At verbum Indurare est verbum activum & reperitur tam in Piel, quam in Hiphil.

Ergo significat actionem geminam & efficacissimam.

Probatur MINOR inductione exemplorum. Textus noster usurpat in Piel verbum פִּיחַ Invenitur quoque Exod. IV, 21. & IX, 12. item c. XI, 10. Sic XLV, 4. & Jer, V, 3.

In *Hiphil* autem legitur *הִחַיִּיק* Exod. VII. 12. & cap. XIV. 3. Deut. II. 30. Jer. XIX. 15. & cap. XVII. 23. Reperitur & *הִכְפִּיר* i. e. *fecit grave*, Exod. X. 1. Es. VI. 10. Paulus vertit *σκληρυνεν* Rom. IX. 18. Johannes *παρεγενεν* c. XII. 40.

II. Ne quis putet nos Calvinianis injuriam facere, lubet quorundam verba propria ascribere. *Calvinus* lib. I. instit. cap. 18 § 2. sic scribit: *Dicitur Sathan ex coecare infidelium mentes: sed unde hoc, nisi quod à DEO ipso (ignoscite piæ aures) manat efficacia erroris, ut mendaciis credant, qui renuunt parere veritati.* Et paulò post: *Summa hæc sit: Cum DEI voluntas dicitur rerum omnium esse causa, providentiam ejus statui moderatricem in cunctis hominum consiliis & opibus, ut non tantum vim suam exorat in electis, qui Spiritu S. reguntur, sed etiam reprobos in obsequium cogat.*

Conradus Bellicarius super Es. LXIII. præceptorem suum *Oecolampadium* imitatus sic commentatur: *Propheta sanctè à quâdam audaciâ divinam providentiam allegat, quæ omnia diriguntur, cui etiam acceptos refert errores Judaici populi, in quos sine divina voluntate nunquam incidissent.* Id ipsum statuit *Petrus Martyr* lib. 2. Reg. 16. Et *Beza* in coll. Mompelg. id enixissimè studet probare.

Negativa sententia.

Significatio pugnans cum natura DEI & verbo revelato, ut est absurdissima, ita repudianda.

At significatio activa verbi *Indurare* pugnat cum natura DEI & verbo revelato.

M m m

Er-



Ergo ut est absurdissima, ita repudianda.

MINOR probatur I, Quia DEUS est summè bonus & perfectè justus. Ergo nec potest agere nec vult quod malum est, alias contra seipsum pugnaret, propriamque naturam inverteres.

II. Pugnat cum verbo DEI. Nam DEUS passim prohibet indurare corda: & qui indurant, graviter objurgat & punit: ut Deut. X, 17. *Cervicem vestram ne induretis amplius.* 2. Par. XXX, 8. & XXXVI, 13. *Nolite indurare cervicem vestram.* 4. Reg. XVII, 14. *Induraverunt cervicem suam.* Sic Jer. V, & VII, 26. Item c. X, 23. Item XIX, 15. 2. Par. XIII, 8. *Num cogitatis, indurare vos contra regnum JEHOVÆ.*

Sed excipit Zwinglius cum suis commilitonibus libro de providentia cap. VI. *In quantum DEUS malum facit, non peccat, nec peccatum peccatum est, nec adulterium seu homicidium, quatenus DEUS ad id movet, impellit, cogit, peccatum est: quia ipsi non est posita lex.*

Resp. I. At sua justissima voluntas, quæ contraria velle non potest est ipsi lex agendi: Quia facit quæ vult: non vult autè nisi quæ recta sunt, quæ verò recta sunt, ea per verbum revelat & à nobis facta vult exprimi.

2. Verè & sapienter dictum est ab ethnico Poeta Menandro: *Nullus peccandi satis magnus est pretextus: & quæ ex facti sui genere mala est actio, propter bonam circumstantiam bona fieri nunquam potest.*

Et Augustinus in Psal LXXVII. ita commentatur: *Peccata nulla tergiversatione defendi possunt, non esse peccata. Quid enim hoc aliud est quam malum bonum dicere & tenebras in lucem convertere?* Es. V, 20.

SO.



SOLUTIO.

Committitur igitur in affirmantium argumento *vitium formæ*, quia est *ex puris particularibus*. Frequens enim instantia ex scriptura allegari potest eorum, quæ quoad significationem non sunt *ἐνεργητικά* sed *συγγνωστικά* i. e. non significant *actionem* sed *permissionem*. Audi exempla in *Piel*. Exod. I, 17. *Obstetrices vivificarunt pueros*. Jud. XXI, 14. *Uxores vivificaverant*, scilicet non operando efficaciter, sed permitiendo retinere vitam quam dudum habebant. Et Deut. XX, 16. *Non vivificabis omne, quod spirat* i. e. non permittes vivere.

In *Hiphil* exemplum supra habuimus cap. 2. Josuæ v. 13. *Vivificabitis Patrem*. It. cap. VI, 25. *Josue vivificavit Rahab* i. e. permisit vivere.

2. Quare hoc quoque loco necesse non est verbum *πῶν* significare *efficacem operationem*, sed significat *permissionem*, id quod *ἰσοδυναμία* diversorum locorum confirmat. Exempli causa Jacob. I, 13. legitur *DEus neminem tentat*. Hoc Paulus ita effert I. Cor. X, 13. *DEus non patietur vos tentari*. Et Tob. II, 12. Hanc tentationem permisit DEus evenire illi. Sic Eccl. LXIII, 17. dicunt Judæi: *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? Indurasti cor nostrum*. Ad hoc respondet DEus Ps. LXXX, 13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*. Et Apostoli Act. XIV, 14. dicunt: *DEus in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*. Quem in modum etiam præsens locus de induratione Cananæorum exponi potest & à patribus exponitur.

Mmm 2

Hic.



Hieronymus epist. 15. sic scribit: Indurare dicitur DEUS quorundam corda malorum, non quod omnipotens per potentiam suam corda eorum induret, quod impium est credere, sed exigentibus eorum culpis cum duritia cordis, quam ipsi sibi omnia mala perpetrando quasi nutriunt, non avertitur quasi ipse induret, quos justo iudicio induratos sinit.

Basiliius in eandem sententiam, Orat. quâ docuit, Deum non esse causam malorum. Obduravit, dicit, Pharaonem DEUS, cum per longam huius patientiam & supplicii procrastinationem illius flagitia aufererent, ut tandem, ubi ad ultimum terminum excrevissent eius peccata, illustrius fieret divinum, quo periturus esset iudicium. Itaque cum a minoribus progressus flagellis DEUS maioribus atque maioribus eum plectere pergeret, neque emolliret tamen obstinatum, comperit patientia lenitatisque sua illum esse contemptorem, atque ipso usu adversus plagas occalluisse. Et tamen ne sic quidem morte ipsum mulcavit, donec se ipse submergeret, cum ausus esset praesumptiva eadem quâ iusti insistere viâ, atque existimasset, ut DEI populo, sic sibi per vicium fore Rubrum mare.

Au.



Augustinus de tempore Serm. 88. Indurasti cor nostrum, ne timeremus te. Es. LXIII. Quod utiq; non est aliud, nisi deseruisti cor nostrum, ne converteremur ad te. Et (super Pf. LXXVII.) hanc iniquissimam & malignissimam obstinationem DEUS cum facere dicitur non instigando & inspirando, sed deserendo facit, ut illi (mali Angeli) operentur in filiis diffidentia, quod DEUS debite justeq; promittit. Lege eundem lib. 6, quæ est super Josue cap. 18.

Irenæus lib. 4. c. 48. dicit: Quotquot scit non credituros DEUS, cum sit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum & avertit faciem ab hujusmodi re, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt.

3. Verba in Piel & Hiphil sæpe non significant operationem sed declarationem, ut Levitici XIII. 13. Sacerdos מרר i. e. mundificabit tactum leprosi, e. mundum judicabit seu declarabit. Ibid. v. 15. Polluet eum i. e. pollutum pronuntiabit. Prov. XVII. 15. קצף i. e. justificans impium & מרשע i. e. iniquum faciens justum i. e. justum & iniquum declarans. Hoc pacto Augustinus quoq; non negat, verbum Indurandi posse λογιστικῶς i. e. de declaratione ac ostensione exponi, cum ita scribit lib. 2, quæ est super Exod. XVIII. Videndum sanè est utrum etiam sic accipi possit: Ego indurabo; tanquam diceret: quam durum sit demonstrabo. Consentit hæc interpretatio cum verbo DEI, qui indurationem Pharaonis ipse sic explicat Exod. 9. Posui te, ut ostendam in te fortitudinem tuam.

4. Interdum Patres indurationem illam *επιμαρτυρία* exponunt, dum eam fieri dicunt non agendo, nec tantum permittendo, sed denegando gratiam. Ut cum Au-



gustinus pro induratione contrarium negatum accipit in libro de prædestinatione & gratia c. 4. *Non ita intelligendum est, inquit, quasi DEUS in homine ipso, quæ non esset, duritiem cordis operetur: Sed indurare DEUS dicitur eum, quem emollire noluerit: Sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit: sic etiam repellere quem vocare noluerit.*

Sic lib. 1. ad *Simplicianum* quæst. 2. *Induratio intelligenda est, non quod ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum, quo sit melior, non erogetur. Et Epist. 105. ad Sixtum Presbyterum: Merito peccati universa massa damnata est; nec obdurat DEUS impertiendo malitiã: sed non impertiendo misericordiam, quibus enim impertitur, nec digni sunt, nec merentur, ac potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Hæc vestigia secutus ex Calvinistarum numero etiam *Gualterus* homilia 309. ita scribit: *Seducit & indurat DEUS, non quod ipse novam malitiam in nobis creet, sed quod nobis hoc ita meritis Spiritum suum subducit, ut mensuram iniquitatis impleamus, & pœnas demus, quæ nostræ impietati debentur.**

5. Neque incongrua est eorum interpretatio, qui DEum indurare a jure non per se, sed per accidens, sive per synecdochen consequentis pro antecedenti, videlicet beneficiendo, & pœnas differendo, unde multi mali solent deteriores fieri: sicut *Hieronymus* scribit super *Es. LXIII. Indurasti cor nostrum, ne timeremus te: Non quod DEUS erroris causa sit & duritia, sed quod illius patientia nostram expectantis salutem dum non corripit, delinquentem, causa erroris duritiæque videatur.*

Et



Et Origenes lib. 3. *τῆς ἀρχῆς* cap. 1. (Indurando) Relinquit D Eus & negligit eos, quos correctione judicavit indignos.

Ad hujus sententiæ explicationem solent Patres illustres similitudines in medium afferre. Theophylactus in Johannem cap. 12. Cum audieris, inquit, quod excæcet D Eus, sic intellige, quod excæcet, cum præsens non sit, si autem affuisset D Eus, non excæcatus fuisset homo: Si erat sol, non utiq; erant tenebræ; nunc autem sol facit noctem, sed quo pacto? Occidens. Ita & D Eus cæcos facit homines cum non adest eis. Non adest autem propter illorum malitiam.

Origenes in loco modo citato utitur tribus similibus:

1. Sicut ex eodem imbri terra diligenter exculta affert fructus bonos: at negligenter culta spinas & tribulos: quæ tamen non imbris culpa est sed agriculturalum:

2. Sicut unâ eademque caloris virtute sol ceram solvit, limum verò arefacit & stringit propter diversam utriusque qualitatem: Sic eadem operatio D E I, quæ per Moysen in signis ac virtutibus gerebatur, Pharaonis quidem duritiem arguebat, quæ malitiæ suæ intentione conceperat, reliquorum verò Ægyptiorum, qui Israelitis admiscebantur, obedientiam declarat.

3. In-



3. In primis conspicua est similitudo à servis
petita, cum addit: *Frequentè benigniores qui-
que Domini ad eos servos, qui per multam pati-
entiam & mansuetudinem Dominorum inso-
lentiores, improbioresq; fieri solent, dicunt: Ego
te talem feci: ego te perdidit: mea patientia te
pessimum fecit: ego tibi causa hujus tam duræ &
pessimæ insolentiæ existo, qui te non statim per
singulas culpas punio pro merito delictorum,*
Lege præterea Chrysostomum hom. 68. in Johannem
Evangelistam.

Gregor. Nyssenus in vita Mosis tali utitur similitudine:
*Quemadmodum si quis de homine, qui in fove-
am decidit, quoniam Solem non vidit, idcirco in
foveam ipsum incidisse asseverat, nulli nostrum
in mentem veniret, ab irato sole in foveam ipsum
depulsum. Sed statim intelligeremus, ideo in
foveam lapsum, quia coecitate sua solis lucem
aspicere non potuit. Sic oportuit Scripturæ quo-
que hujusmodi locos accipere. Induravit igitur
DEUS cor Pharaonis, non quia divina voluntas
duritiem in animum ejus induxerit, sed quia,
cum ipse vitiosè vivere maluerit, non suscepit
rationem, quia duratum in vitio cor non per-
mollitur.*

Ex



Ex hæcenus dictis concludo, DEum indurare corda malorum 4. modis, 1. promittendo. 2. demonstrando seu declarando hominum duritiem. 3. Privando seu auferendo gratiam: 4. Benefaciendo pœnasq; diutius differendo.

6. *Duo autem coronidis loco in illâ, de induratione hominis quæstione notanda veniunt in primis, ne DEo aliquam mali culpam imputare cogamur.*

*Unum est causa impulsiva illius sive permissionis sive privationis: Alterum est causa finalis. Impulsiva causa sunt præcedentia delicta eorum præsertim, qui conciones legales ac saluberrimas correctiones superciliosè contemnunt. Talibus aufert DEus gratiam suam, eosq; tradit Satanæ tyrannidi indurandos & excæcandos juxta illud Pauli 2. Theff. II, 10. *Per- eunt eò, quod caritatem veritatis non receperunt ut sal- vificerent. Ideo mittet illis DEus operationem erroris ut credant mendacio.* Et Rom. I, 18. *Tradidit illos DEus in reprobum sensum, repletos omni iniquitate mali- tia &c.**

Hinc Augustinus in lib. de gratia & libero arbitrio c. 21. *Quando legitis in literis veritatis, à DEo seduci ho- mines aut obtundi, vel obdurati corda eorum, nolite du- bitare semper præcessisse mala merita eorum, ut justè ista paterentur.* Et Epist. 105. ad Sixtum: *Miseretur DEus gratuito dono: obdurat justissimo merito.* Et de Pha- raone scribit in libro expositionis quarundam quæsti- onum ex epistola ad Romanos: *Nos quisq; potest dice- re obdurationem illam cordis immerito accidisse Phara- oni, sed judicio DEI retribuentis incredulitati ejus debi- tam pœnam.*

N n n

Cau.



Causa verò finalis est duplex: Respectu DEI est manifestatio potentiae & justitiae suae in vasis irae, quæ multa longanimitate sustinuerat, Rom. IX, 22.

Respectu hominum est *timor DEI & vera poenitentia*. Intuentes enim horrenda indurationis supplicia unice studebunt, peccata quibus ea acquiri solent, devitare.

QVÆSTIO IV.

An homo renatus possit omnia præcepta DEI implere?

Affirmat Pontificii.

Sic enim sub pœna fulminis Pontificii in concilio Tridentino Canone 18. decernunt: *Si quis dixerit, DEI præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

Huic sententiæ videntur astipulari hæc argumenta:

I. Josue implet universa DEI præcepta, ita ut nec unum quidem verbum prætereat, v. 15.

At Josue est homo renatus.

Ergo homo renatus implere potest universa DEI præcepta.

II. Huic affine est quod lib. 4. Reg. c. XXIII, 25. Josias legitur reversus esse ad Dominum in omni corde suo & in omni anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moisis.

Negatur.

I. Qui sub peccato venundatus est, & malum invitus facit, is non potest implere universa præcepta DEI.

Er-



At omnes renati sunt tales, qui malum inviti faciunt:

Ergo nulli renati possunt implere universa praecepta DEI.

MAJOR probatur, quia servitute peccati, malisque actionibus impeditur & tollitur impletio legis.

MINOR probatur exemplo Pauli Rom. VII, 17. Davidis Ps. XVIII, 13. & XXXVII, 5. quibus adde testimonia. El. LXIV, 6. Omnes sumus tanquam pannus de tortus. Et in I. Joh. I, 8.

II. Si quis renatus potest implere omnia praecepta Dei, potest etiam ex lege vivificari & justificari.

Sed nullus renatus potest ex lege justificari & vivificari.

Ergo nullus potest implere omnia praecepta DEI.

MINOR probatur Gal. III. Si data esset lex, quae posset justificari &c. Et Ps. CXLII. Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

SOLUTIO.

Respondeo ad primae objectionis MAJOREM per distinctionem à materia subjecta desumpta. Quod Josue dicitur implevisse universa, quae DEUS praeceperat, id non est intelligendum absolute & generalissime de perfecta legum divinarum, quo ad internam & externam obedientiam satisfactione: sed accipiatur καθ' ἑσπεραν ἢ ἀπὸ de everione & delectione Canaëorum tam regum quam subditorum, sicuti praeceptum extat Deut. VII. 2. Secundo de non faciendo cum gentibus foedere Exod. XXIII, 32. Tertio (quod Josue in-

Nnn 2

po-



posterum non fecit) de non ducendis in uxores illorum filiabus. Hoc enim prohibitum est Exod. xxxv, 15. Secundum hæc & similia præcepta specialia ad Cananæos spectantia omnia fecit Josue. Hinc verò minimè inferre licet: Omnia hæc de Cananæis præcepta implevit Josue externo opere: Ergo etiam universam legem moralem implevit tam internâ quam externâ obedientia. Nam supra non parum hallucinantur, cum ore Domini non interrogato, cum Gabaonitis in cap. IX, 14. Ex his patet etiam secundæ objectionis solutio: *Josias* fecit secundum omnem legem Moïsis, scilicet quoad opus reformationis Ecclesiasticæ & restaurationis cultuum divinum, in quo nihil hypocriticè aut simulatè egit. verùm hæc non sufficiebant ad simpliciter omnem legem implendam.

LOCI COMMUNES *Theologici.*

I.

De pœnis malorum autorum.

Qvi sua autoritate alios ad male agendum adducunt, isti quoq; non immeritò primi ad supplicium rapiuntur. Testis est h. l. *Azor* cum suo rege: Nam sicut ista urbs jam olim principatum inter omnia regna vicina obtinebat, eaq; suo ductu & exemplo ad bella Israelitis inferendæ tanquam classico incitabat: ita etiam nunc inter devastatas urbes primatum obtinet. Sic qvi in hac vita primi sunt inter peccatores, erunt quoque primi aliquando in inferno tortores.

II, De

II.

De homicidiis.

Hominem interficere nemini licet nisi magistratui, cui lex divina gladium in manus tradit ad evertendos malos. Rom. XIII, 4. Cum igitur Magistratus secundum verbi divini præscriptum vel morigeros tuetur, vel rebelles severè punit rectè & laudabiliter facit sicut Josue qui v. 12. dicitur reges cepisse percussisse atq; delevisse, sicut ei præceperat Moses i. e. nihil fecit ex beluina rabie & libidine effundendi humanum sanguinem, sed studio obsequendi voluntati DEI.

Quod si absq; præcepto DEI aliquid fecisset, tyrannidis & crudelitatis notam effugere non potuisset, Quare in hoc maximè incumbat victor Magistratus, ne quid audeat suo magistratu ad delectandum proprium genium, sed ut omnia facta divinorum præceptorum modulo metiatur.

III.

De divinorum præceptorum impletione.

Lex DEI proponitur nobis non theorias seu speculationis, sed praxeos sive operationis causa: non ut in ejus notitia finem ponamus sed ut notitiam obediendo in actum proferamus: id quod optimè intellexit Josue, qui universa DEI præcepta ita implevit, ne unum quidem præteriret v. 15. Unde patet finem legis non esse auditum nudum, sed impletionem & actionem. Dicit enim Jacob i. c. Non auditor obliviosus, sed factor operis hic beatus in facto suo erit. Et Christus Luc. X, 28.

Nnn 3

di-



dicit: *Fac & viues* (i.e. *Quatenus tu satisfeceris legi potes vivere.*)

Etsi autem legem DEI quoad internam obedientiam perfectè implere non possumus tamen enitendum est, ut exemplum Josuæ laudatissimum imitati in externis operibus ab eadem ne quo ad unum quidem verbum aberremus. Hoc si fecerimus, ipsi quoque per fidem felici & optato laborum nostrorum successu perfruemur.

IV.

De constantia in laboribus perferendis.

Josue multo tempore pugnat, nec tamen difficultatibus & molestiis bellicis sibi animum frangi passus est, sed militiae divinitus demandatae cursum strenuè urgere voluit, donec Israelitarum res in pace & tranquillitate constituisset: Eundem in modum nemo nostrum gravetur in vocatione sua diu laborare & desudare, multorumque laborum molestias devorare. Non enim quid nos premat, sed quid DEUS à nobis exigit unice spectandum & curandum est.

V.

De paucitate credentium.

Omnes reges & incolæ terræ Cananææ pereunt in credulitate sua: *Rahab* cum sua familiâ & *Gabaonitæ* cum vicinis urbibus fide servantur, dum credunt Deum iræ suæ incendio totam terram absumpturum esse. Sic ex generis humani colluvie solet paucissimi quique resipiscere & salvari. Unde *Ecclesia grex pusillus*
ap.

appellatur, Luc. XII, 32. Et velut *tuguriolum cucumerarii* Eccl. 8. Periculosum igitur est & plane erroneum, religionem veram a scelarum & cultorum multitudine metiri.

V.

*De abusu longanimitatis & patientiæ
divinæ.*

Quò quis divinâ patientiâ magis abutitur, eò magis induratur in peccatis, & qui diu misericordiam DEI speraverunt, eis fores gratiæ tandem ita occluduntur, ut vix ac ne vix quidem referari possint. Hoc enim processu solet mitericors DEUS uti. 1. Lege taxat hominum scelera. 2. Deinde verbi contemtores afficit cruce & corporalibus pœnis. 3. Qui cruce non moventur, eorum corda indurat, ut veluti proni seipso in æternæ perditionis foveam præcipitent. Intuemini Cananæos: hos DEUS 1. ante 400. annos per Abrahamum, Isaac & Jacob de suis peccatis admonuit. 2. Pœnis à regibus Og & Sehon & similibus sumtis nec non præclaris miraculis eos emendare voluit. 3. Verum illi, ubi hæc omnia contemnunt, traduntur indurationi, ne convertantur. Eodem processu DEUS hodie utitur, corripit nos partim verbo, partim pœnis, bello, peste, rei domesticæ calamitate: tandem quid aliud expectandum nobis erit, quam induratio & divinæ clementiæ negatio?

LOCI POLITICI.

I.

De justitia & æquitate bellica.

Si-



Sicut in bello legitimo non omnia gladio & igne devastanda sunt; ita nec omnia salva & integra relinquenda; sed in unoquoque cautè ac circumspectè agere decet, quod justum rectumque est in primis spectetur: sed tamen utile non planè negligatur. Exemplum habes in textu; potuisset Josue, imò licuisset ipsi omnes urbes debere incendio ob motam seditionem & rebellionem, sed nonnullas servat, in collibus videlicet sitas, idque ideo, quia ob altitudinem erant munitissima & ad habitandum maximè idonea. Interim urbem *Hazor* primariam comburit, quam servare non fuisset incommodum. Verùm voluit ita vel majorem metum Cananæis residuis incutere, vel supplicium gravius de rebellionis autoribus sumere: vel Israelitis occasionem fiduciam in munitione & præsidio urbium ponendi præripere. Tanta fuit in Josue prudentia & justitia. Atque eo pacto etiamnum in bello prorenata, nec omnia ad vindictam, nec omnia ad utilitatem, sed ad utrumque singula temperatè referri debent.

II.

De vicinâ malorum.

Quod in trito versu dicitur: *Tua res agitur, paries cum proximus ardet*, id experiuntur urbes metropoli *Azor* vicina, ac in ejus circuitu sita, quæ unâ solo æquantur: quæquam & ipsæ peccatorum meritis id exitii sibi accersiverant. Sic certa pœna manet non tantum autores iniquitatum, sed tangit etiam eorum vicinos ejusdem improbitatis socios ac imitatores: quem-

quemadmodum DEus Sodomam & Gomorrhā & omnem circā regionem subvertit Gen. XIX, 25.

III.

De injusti dominii pœna.

Cananæi invito rerum universarum Domino, fruebantur & gaudebant divitiis terræ benedictæ: quare tandem sedibus suis expelluntur & coguntur omnia jumenta, omnem supellectilem ac thesauros Israelitis in prædam relinquere. Sic injusta rerum possessio infirmas agit radices, unde levi flatu homo excuti potest, juxta illud Job. XX, 15. *Divitias, quas devoravit (impius) evomet & ex ventre ejus auferet DEus.* Et v. 31. *Et propterea nihil permanebit de bonis ejus.* Contra de piis & justis possessoribus dicit David Psal. XXXVI, 28. *Justi hereditabunt terram & inhabitabunt in seculum seculi.* Unde apparet, fundamentum firmæ & immotæ possessionis rerum esse pietatem, cui quas superstruxeris divitias, diu ac hilari animo, DEo volente, possidebit.

IV.

De rebellionē adversus potentiores.

Quod Cananææ civitates se nolunt tradere filiis Israel v. 19, magnum est stultitiæ ac temeritatis argumentum, quo se ipsos perdunt. Consultius enim egissent, si ab Israelitis tanquam potentioribus veniam, clementiamq; petiissent. Sic qui se fortioribus opponunt, salutem suam ipsi prostituunt non dissimiles

Ooo

hirco



hirco illo Æsopico, qui æneam statuam magno impetu everfurus cornua perdidit.

TERTIA PARS CAPITIS XI.

In illo tempore) Hæc est *tertia pars cap. II.* de internecone gigantum, suarumq; urbium deletione.

I. Describuntur Gigantes.

II. Commemoratur eorum deletio.

III. Additur effectus bellorum omnium hæctenus administratorum, qui triplex est:

1. Promissionis divinæ impletio.

2. Promissæ possessionis traditio & distributio.

3. Pacis publicæ constitutio.

V. 21. *ENAKIM*) Describuntur Gigantes i. à *familia*. Dicuntur enim per *metonymiam* ENAKIM. Hebr. à עַנְקִיַּם patre *Enak*, cujus mentio fit infra cap. XV, 13. & cap. XXI, 11. Item Num. XIV, 23. &c. Qvis Enak autem fuerit, quibusve parentibus satus, non constat, nisi quod Arbe censetur fuisse ejus pater, sufficit, eum esse generis Gigantææ propagatorem. Nomen accepit ab adjuncto, quod fuit ornamentum colli. Nam עַנְקִיַּם significat *collum torque cinxit*. Hinc Pagninus vertit *torqvatos*. Creduntur enim Gigantes fuisse heroës prodigiosæ magnitudinis ac proceritatis, qui torquebus uti consueverunt pro insignibus. Unde videtur descendisse
Græ-

Græcum nomen *ἀναξ rex*: & fortasse nostrum Germanicum *Sunker*. Chaldaeus reddit *נַכְרַי i.e. fortes*. Quia ampliora ac majora corpora sunt majoris qualitatibus ac virtutis capacia.

2. Describuntur Gigantes à situ & locis, ubi habitaverunt: Fuerunt illa Hebron, Debir & Anak, de quibus infra audiemus.

v. 22. *Non reliquit ullum de stirpe)*

Hebr. *Non relictus est Enakim*: Est *Enallage numeri*, seu potius *Synthesis*. Nam constructio ad sensum, non ad dictionem refertur, quandoquidem Gigantum familia tota collectivè dicitur Enakim.

LOCUS THEOLOGICUS.

De fortitudinis humanae confusione.

Confundit DEUS robustissimorum heroum potentiam, præscribens humanis viribus certum terminum ac veluti metam, quam transilire nemini licet, quamvis potentissimo. Audimus enim hîc Gigantes, qui monstrosâ aliâs corporis vastitate præditi erant, divino terrore ita infirmatos ac enervatos esse, ut adversus Israelitas, qui in illorum oculis *quasi locustæ visifuerant* (Num. XIII, 34.) ne hiscere quidem auderent. Præbuit enim DEUS Israelitis vires ad faciendam salutem Deut. VIII, 18. ut exultantes canerent: *Arcus fortium contritus est & infirmi accincti sunt robore* i. Reg. II, 4. Nam victoria non est penes robustissimos, sed sapientissimos. Unde *Baruch* de Gigantibus dicit c. III, 27. *Non hos elegit Dominus, neq; viam disci-*

Ooo 2

pli-



plina invenerunt: propterea perierunt: Et quoniam non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam.

LOCUS PHYSICUS ET HISTORICUS.

De Gigantibus.

I. Non sunt Siculae nugæ, quæ de Gigantibus seu insularum magnitudinis viris tradunt Historici, licet Poætæ multa admisceant fabulosa & fictitia. Nam Gigantum meminit passim S. Scriptura Gen. VI. Bar. III. Num. XIII, 33. Ubi dicuntur אנשי מדור i. e. viri mensurarum, & גפילי à verbo נפל i. e. cecidit, propterea quod ad eorum conspectum vulgares homines præ terrore soliti sint cadere.

Deut. II, 10, appellantur *populus magnus, multus & excelsus*: A Moabitibus dicti sunt עמי i. e. *crudelis* à radice ען i. e. *crudelis fuit, truculentus*: Ab Ammonitis dicti sunt עמי i. e. *flagitiosi seu perniciosi* à עמ i. e. *presumpsit animo dolum*, unde Sanniones apud Ciceronem dicuntur. Germanicè nominantur *Riesen à lacerando von reissen* quia omnia ad se virapiunt. Hinc colligimus, Gigantes duplici nomine, communem hominis statum excessisse, nimirum corporum magnitudine & animorum crudelitate. *Exemplum magnitudinis* qui desiderat, intueatur *Oggum* Deut. III, 11, cuius lectus habuit 9. cubitos virilis manus & 4. in latitudine, Proceritas *Goliathi* fuit 6. cubitorum & palma, 1. Reg. XVII, 4.

Aven-



Aventinus lib. 4. *annalium Bojorum* scribit, sub Carolo Magno Gigantem quendam nomine *Enoterum* existisse oriundum ex Durgiâ pago Sveviæ, qui in bello 7. vel 8. hostes in morem avicularum transfixos & de humero suspensos ultro citroque tulit, quos pro ramis ac vermiculis probrosè habuit.

Plinius scribit lib. 7. Cùm in Creta quidam mons terræ motu disrumperetur, cadaver 46. cubitorum re-
pertum fuisse. *Philostratus* memorat, visum fuisse Gigantis cujusdam cadaver 30. cubitorum & aliud 22. nec non aliud 12. *Augustinus* lib. 15. de civitate DEI cap. 9. affirmat, se in littore Uticensi vidisse molarem dentem adeò magnum, ut dissectus ad formam & magnitudinem usitatorum dentium 100. efficere potuerit. Citat etiam ibidem *Virgilium*, qui 12. *Æneid.* ex Homeri Iliade 6. *Diomedem* scribit ingens saxum & 14. juvenem viribus ponderosius in *Æneam* intorfisse. Verba *Virgilii* sunt:

*Vix illud lecti bis sex cervice subirent;
Qualia nunc hominum producit corpora tellus?*

III. *Causa efficiens principalis* est DEUS. causarum secundarum universus moderator; qui ortum Gigantium mixtioni hominum cum dæmonibus ascribunt, falluntur. Nam Enakis pater Arbe expresse dicitur homo Jos. XIV. 15. *Causa secundaria* seu Physica creditur esse copia sanguinis menstrui, à fortiore calore probe digesti.

IV. *Finalem causam* statuimus duplicem: Unam *Cy-villus* tradit lib. 3 in Genesin his verbis: *Mulieres filiorum DEI pepererunt mira quædam prodigia, & porten-*



tenta. DEUS enim ob effrenatum illorum libidinem & ipsam humanorum corporum pulcritudinem deformem reddidit. Alteram proponit Augustinus lib. 15. de civ. DEI cap. 23. Gigantes creare propterea placuit creatori, ut etiam hinc ostenderetur, non solum pulcritudines, verum etiam magnitudines & fortitudines corporum, non magnipendendas esse sapienti, qui spiritualibus atq; immortalibus longè melioribus atq; firmioribus, & bonorum propriis, non bonorum & malorum communibus beatificatur bonis.

LOCUS POLITICUS.

De fine belli.

Clausula hujus capituli (quævit terra à præliis) docet, finem omnium bellorum esse pacem: Ubi enim pugnatōres hostes suos vi oppresserunt & è medio sustulerunt, cessant à præliis ac fruuntur pace, cujus causa arma sumserant. Quare pax bello semper præferatur, quippe cùm sit ex numero rerum honestarum, quæ per se expetuntur & natura sua delectant: sed bella, non expetuntur propter se, sed propter pacem, in cuius adeptione acquiescimus. Unde Augustin. de Civ. DEI lib. 19. c. 12. eleganter: Sicut nemo est, qui gaudere nolit, ita nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi, qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt: ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt, pervenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? Quod cùm factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella: ab his etiam qui virtutem bellicam student exercere imperando atq; pu-

guan-

gnando. Unde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando. ὁμόληϕⓄ est Aristoteles lib. 10. Eth. ad Nicom. cap. 7. dicens: Videbitur beatitudo in ocio posita esse. ἀπολαμβάνουσα γδ, ἵνα ἀπολάβωμεν καὶ πολεμῶμεν, ἵνα εἰρήνην ἀγωμεν i. e. Negotiamur, ut ociamur, & bella gerimus, ut pacem agitemus. Et paulo post: ἄδεις αἰρεῖται τὸ πολεμεῖν, τὸ πολεμεῖν ἕνεκα i. e. Nemo expetit bellare propter bellum. Videbitur enim prorsus μισαϕόνⓄ i. e. sanguinarius. Et lib. 7. polit. cap. 13. Bellum dicit suscipi pacis causa & laboris & ocii.

CAPUT DUODE- CIMUM.

SUMMA.

Hoc caput continet Catalogum seu ἀνακεϕαλαίωσην regiarum victoriarum, quas filii Israel partim sub Mose, partim sub Josue divino auxilio consecuti sunt.

Partes capituli 2. sunt. In prima commemorantur victoriæ, quæ à duobus regibus Sehon & Og, Mose adhuc vivente, sumtæ, in terra Trans-Jordanina occidentali.

v. 1. *Trans Jordanem*) Terra Palestina dividitur in duas partes, quæ ambæ dicuntur trans Jordanem, propterea quod flumine Jordanis interveniente dirimantur: Una versus ortum Solis sita est, in qua Sehon & Og imperii clavum tenuere: Altera

ver-

